BERNARDUS CLARAEVALLENSIS
Österreich, 12. Jh. Seite 79v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26359
Copyright: Admont, Benediktinerstift





qui ex halitu aquarum uaporalitur inseritur aeri iuxta undas et terras
circumfuso. commotis uentis et uehementius concitatus et ignes ac tonitrua.
contractus nubila. conspissatus pluuiam. et congelantibus nubibus niuem. et tur-
bulentius congelantibus densioribus nubilis grandinem. et distentus
serenum facit. et auris nocturnis rigoribus adgrauatis rorem di
stillat. occultis dei imperiis. dum uirentia pullulant. suaque semi
na euoluunt. dum animalia gignuntur. uarioque appetitu pro
prias uitas agunt. dum iniqui iustos exercere permittuntur.
explicat scala. que ille cum primum condita sunt. tanquam iam initiata
indiderat. que tamen in suos cursus non explicarentur. si ea ille
qui condidit. prouido motu administrare cessaret. Scriptum est
enim de sapientia eius. quod motus eius agilior celeriorque sit omnibus
motibus. et quod attingit a fine usque ad finem fortiter. et disponit
omnia suauiter. Per quam eius dispositionem sumus uiuimus et moue
mur in eo. Unde colligitur. si hoc opus suum rebus subtraheret.
ilico amitterent et desinerent omnino uiuere et moueri.
et esse aliquid. Anima uero per lucem et aerem. que magis habent fa
ciendi prestantiam quam patiendi corpulentiam. sicut humor et terra
ad ministrat crassioris sui corporis materiam. hec est humida
terra. que in carnis est uersa qualitatem. Nullus enim sine luce et aere
uel sensus est in corpore uel ab anima spontaneus motus. Alius quippe
in nobis est motus ille internus. quo corpora nostra crescunt. ungues
atque capillos producunt. quo etiam intrinsecus agitur quicquid ad in
crementum specieque arboris herbeque pertinet. quo ducitur succus in
radices uertitur quoque in ea quibus constat natura herbe et ligni. Alius
ille qui sensui copulatur ad amministrationem corporis. sicut in
omni genere animalium. Sicut autem prius esse debet nosse quam face
re. ita sentire prius quam mouere. ab anteriore igitur parte
faciei. ubi pars illa cerebri ad frontem collocata est. unde
omnes sensus distribuuntur. est omnis sensus. a posteriori omnis
motus. quia illa ducit. ista sequitur: sicut precedit consilium actionem.